



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVIII. Gregorii Papae I. Ad Maximianvm Episcopvm Syracvsanvm.  
De quodam presbytero digno prouehi ad episcopatus ordinem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

De quodam presbytero digno prouehi ad episcopatus ordinem.

*Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.*

Ioan. diac.  
libro 3. cap.  
15.

**F**ELIX vir consularis præsentium lator edocuit nos esse quemdam in illis partibus presbyterum, qui ad episcopatus ordinem prouehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram se deduci faciat, eumque, sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc gradum prouehi dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, vt eum, disponente Deo, loco, cui prouiderimus, possimus ordinare pastorem. Præsentium vero latorem Felicem virum consulare vestræ caritati, salua fraternitatis tuæ iustitia, commendamus, quatenus in iis quæ iuste poposcerit, fraternum inuenire possit affectum.

## EPISTOLA XIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD BENENATVM EPISCOPVM CVMANVM.

Visitationem iniungit Cumanæ ecclesiæ, in qua episcopus eligendus est.

*Gregorius Benenato episcopo visitatori Cumanæ ecclesiæ.*

**Q**VONIAM Cumanæ ecclesiæ Liberior quondam antistes de hac luce migrasse cognoscitur, propterea visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus: quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministerioque, vel quidquid illud est, a quoquam præsumatur ecclesiæ. Et ideo caritas tua ad prædictam ecclesiam ire properabit, & assidujs adhortationibus clerum plebemque eiusdem ecclesiæ admonere te volumus, vt remoto studio diuersarum partium, vno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerandis Canonibus nul-